



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quomodo Christus est finis legis. tit. 142

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

TITVLVS CXLII. 351  
QUOMODO CHRISTUS  
est finis legis.

TITVLVS CXLII.

**P**rimò, Apostolus ad Roman. 10. inquit,  
quòd Christus sit finis legis ad iustiti-  
am omni credenti, &cæ. Lex omnis ac-  
cusat, condemnat, maledicit, Deute 27.  
Rom. 4. Lex iram operatur Nam exigit  
perfectam obedientiam, dilectionem, timorem, Deu.  
6. Diliges ex toto corde, ex tota anima, sicuti iam bea-  
ti in celo: sed hic natura oppressa peccato, non satis-  
facit: ergo lex omnes damnat. At credentem in Chri-  
stum lex non potest accusare & condemnare. Nam  
Christus est finis legis, id est, consummatio seu imple-  
tio legis credenti: Hoc est, is qui habet Christum, aut  
credit in Christum, is iustus est Habac. 2. Iustus ex fi-  
de uiuit, & habet hoc, quod lex postulat imputatiuè,  
id est, reparatur iustus, etsi reipsa non satisfacit legi.  
Propter Christum igitur reputantur iusti, ac si legi sa-  
tisficerent: sic Galat. 5. Christus redemit nos de ma-  
ledicto legis, factus pro nobis &cæ. Qui ergo Chri-  
stum fide habet, etiam hanc liberationem à maledi-  
ctione legis habet. & 2. Corinthior. quinto. Eum qui  
nò nouit peccatum, fecit pro nobis peccatum, id est,  
hostiam, ut nos efficeremur iustitia Dei, id est, iusti co-  
ram Deo in ipso. Sic Christus est finis legis: Nam pro-  
pter ipsum iustificamur, non propter legem, etsi lex  
à nobis exigitur, id est, obedientia, non tamen iustifi-  
catio nostra.

Secundò inquit Apostolus 1. Timoth. 1. Finis præ-  
cepti est charitas. At quomodo est finis præcepti cha-  
ritas, cum iam dictum sit, quòd Christus est finis le-  
gis? Respon. Apostolus hic loquitur contra quosdam  
falsos legisdoctores, qui docebāt legem sine dilectio-  
ne proximi, cum lex exigit potissimùm dilectionem,  
Z z 2 Deut.



1. Timot. i.

Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum &c. Ideo dicit Apostolus, Volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquantur &c. Plenitudo legis est dilectio, Rom. 12. Sed dilectio cum sit fructus Spiritus sancti, Gal. 5. non potest haberi, nisi fide à Christo impetretur. Christus in actu iustificationis donat Spiritum S. cum suis fructibus. Tit. 3. Acto. 2. Et hic in iustificationis perficit legem, & illam obedientiam inchoatam acceptat Deus, & remunerat.

Sed tamen causa iustificationis non est, sed Christus, ideo Christus est finis legis, id est, propter ipsum fit iustificatio non propter legem. Caritas tamen est virtus & mediū, per quod Spiritus sanctus perficit obedientiam legis. Nam Deus à iustificationis adhuc exigit obedientiam legis, Rom. 3. Destruimus legem per fidem absit, immò statuimus, 1. Tim. 1. Scimus quoniam lex bona est, si quis ea legitime utatur, id est, si ex obedientia facit, non propter iustificationem. Ergo bona opera non reijciuntur, sed sit legitimus usus, id est, non preferantur Christo, nec illis tribuatur iustificatio, quæ in solum Christum transfertur: sic Christus, sic caritas est finis præcepti.

*AN SIT UN A RES LEX  
& Euangelium.*

TITVLVS CXLIII.

**L**

Rimò, licet ambo sint verbum Dei, & à Deo, Lex & Euangelium, plurimum tamen differunt. Vnū occidit & iram operatur, Rom. 4. & 2. Cor. 3. Alterum saluat & viuificat: vnum terret, alterum consolatur, Deut. 27. Maledictus qui non seruat &c. Mat. 11. Venite ad me &c. & ego reficiam vos: vnū est seruus siue pædagogus, alterū hæres, Gal. 3. Est enim lex doctrina, ostendens, quales esse deberemus coram Deo & hominibus, perfectam requirens obedientiam, quia